(§§ 2) Phillipps 391

THRENVS · SEILAE · IEPHTITIDIS IN MONTE · STELACEO.

Venit filia iepte in montem stelac · et cepit plorare. Et hic threnus eius in quo plangens ploravit se et dixit. Audite montes threnum meum et intendite colles lacrimas oculorum meorum et testes estote petre in plancto anime mee. Ecce quomodo arguor sed non in vanum recipietur anima mea. Proficiscantur verba mea in celis et scribantur lacrime mee ante conspectum firmamenti · ut pater non expugnet filiam quam devovit sacrificare · ut princeps illius unigenitam audiat in sacrificio promissam. Ego autem non sum saturata thalamo meo · nec repleta sum coronis nuptiarum mearum. Non enim vestita sum splendore sedens in ingenuitate mea et non sum usa preciosi odoramenti mei · nec fruniuit animam meam oleum unctionis quod preparatum est mihi. O mater in vanum peperisti unigenitam tuam et genuisti eam super terram. quoniam factus est infernus thalamus meus. Confectio omnis olei quam preparavit mihi mater mea effundatur et albam quam nevit mihi tinea comedat. et corona quam intexuit mea nutrix in tempore marcescat. et stratoria que texuit mihi de iacincto et purpura vermis ea corrumpat. Et referentes de me conscii mee non gemitu per dies plagant (!) me. Inclinate arbores ramos vestros. et plangite iuventutem meam. venite fere